



Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CONCILIIS, ET|| ECCLESIA MILITANTE,|| QVATVOR LIRBRIS||
COMPREHENSA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XIX. Cuius sit generali Concilio præsidere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53873](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53873)

CAPVT XIX.

Cuius sit generali Concilio præsidere.

ALTERA pars quæstionis est; An debeat aliquis præsidere, & quis ille sit. Hæretici nostri temporis docent, ordinarium Præsidentem Conciliorum debere esse Imperatorem, vel aliquem ab eo missum, vel si nullum ipse mittat, debere ab ipsa Synodo constitui. Et re ipsa, dicunt, in Conciliis generalibus antiquis non præfuisse ferè vnquam Romanum Pontificem, sed vel Imperatorem, aut eius Legatos, vel antiquiorem Patriarcham, aut Episcopum eius loci, vbi fiebat Concilium. ita docent Magdeburgenses Cent. 4. cap. 7. col. 536. Calvinus lib. 4. Instit. cap. 7. §. 1. & 2. Carolus Molinæus in consilio de Concilio Tridentino non recipiendo, §. 4. vbi apertè mentitur, cùm ait, Legatos Pontificis post omnes Episcopos in Conciliis semper sedisse, cùm in nullo Concilio inueniantur vltimo loco sedisse. Hermannus Hamelmanus libro 3. prolegom. cap. 8. & Brentius in prolegom. contra Petrum à Soto.

Catholici omnes id munus proprium esse docent summi Pontificis, vt per se vel per Legatos Synodo præsideat, & tanquam supremus Iudex omnia moderetur. Dicimus autem, per se vel per Legatos, quia summus Pontifex nunquam interfuit Conciliis Orientalibus per se, neque id factum est casu, sed certa ratione, vt patet ex epistola Leonis 17. ad Theodosium, & 47. ad Concilium Chalcedonense, vbi dicit, se nõ venire ad Synodum, quoniam id non patitur consuetudo, nec vlla prædecessorum habet de hac re exempla.

Adde, quòd Vigilius Papa erat Constantinopoli, cùm fieret in ea ciuitate Concilium quintum generale, & tamen noluit interesse, sed per libellum confirmauit acta Concilij, vt scribit Photius in libro de septem Synodis. Ipsi etiam Imperatores, cùm indicabant Concilia, alios omnes Episcopos per edictum præcipiendo vocabant, Romanum autem inuitabant, vt dignaretur venire, si ei placeret, vt patet ex epistola Martiani Imperatoris ad Leonem Papam, quæ habetur ante Concilium Chalcedonense. Quæ autem sit ratio huius

rei

rei, incertum est. Ioannes de Turrecremata lib. 3. cap. 11. ponit aliquot rationes, quæ mihi non multum probantur.

Ego suspicor, has duas fuisse causas inter alias. VNAM, quia non videbatur conuenire, ut caput sequeretur membra, cum potius membra sequi debeant caput; itaque propterea interfuit Papa Conciliis Romanis, & quibusdam aliis, quæ ipse conuocauit ad se, id est, ad locum, ubi ipse erat, non autem voluit, neque debuit ire ad Concilia alibi congregata.

ALTERA ratio est, quia in Conciliis Orientalibus semper interfuit Imperator, aut aliquis eius Legatus, & quamuis nec Imperator, nec Legatus eius præsideret Concilio proprie ut Iudex, tamen præsidebat saltem quoad locum materialē; & etiam si summus Pontifex ibi fuisset, adhuc voluissent illi eo modo præsidere, ut patet ex Concilio Florentino, in initio, ubi Græci omnino contendebant, ut in summo loco sederet eorum Imperator, & summum Pontificem præcederet. AT quamuis utcumque tolerabile sit, ut Principes seculares in Concilio sedeant ante alios Episcopos, tamen nullo modo conuenit, ut ante ipsum summum Pontificem; ne ergo vel hoc tolerandum esset, vel tumultus excitandus, Pontifex non ibat ad ea Concilia, sed Legatos tantum mittebat.

Sed his omisissis, ad summum Pontificem iure pertinere præsentiam in Conciliis generalibus, probatur PRIMO, ratione ex Scriptura petita. Summus Pontifex est pastor & pater Ecclesiæ vniuersæ, adeo ut etiam Episcopi, & Principes omnes, respectu summi Pontificis, oues, & filij dicantur, ut notum est ex illo Ioan. vlt. *Pasce oues meas.* Ercōfirmatur ex eo, quod Concilia vocant Pontificem patrem, & ipse vocat Episcopos in Conciliis congregatos aliquando filios, ut patet ex Theodoro to lib. 5. hist. cap. 10. ubi Damasus respondens Episcopis Concilij secundi generalis, sic incipit: *Quod, inquit, Apostolica sedi debitam reuerentiam exhibetis, vobis ipsis magno honore est filij honoratissimi.* Item ex epistola Concilij Antiocheni ad Iulium, quæ sic incipit: *Domino beatissimo & honorabili patri Iulio, &c.* Et Stephanus Archiepiscopus Carthagenensis, cum tribus Conciliis ita scribunt: *Domino beatissimo & sancto patri Patrum Damaso, &c.* Et Concilium Chalcedonense in epistola ad Leonem: *Roga-*

mus, inquit, tuis decretis nostrum honora iudicium, & firmitas tua, filiis, quod decet, adimpleat. At quis, quæso, ambigere potest, utrum patres filiis, & pastores ouibus præsidere debeant, an filij patribus, & oues pastoribus?

SECUNDO, probatur ex Concilio Apostolico, Actor. 15. in quo Petrum præsedisse affirmat Hieronymus in epistola ad Augustinum, quæ est II inter epistolas Augustini; & idem ex eo colligitur, quod Petrus primus surgit, primus loquitur, primus quæstionem definit, & omnes, ut Hieronymus dixit, sententiam eius sequuntur.

Probatur TERTIO, ex actis octo generalium Conciliorum, nam quod in aliis Romanus Põtifex præfuerit, etiã aduersarij fatentur. Primum generale fuit Nicænum. de Præfide huius Concilij, quatuor sunt opiniones. Aliqui volunt præsedisse Imperatorẽ; ita Brentius. Alij Eustathium Antiochenum; ita Magdeburgenses loco notato, & Lutherus in libro de Conciliis, parte secunda. Alij Athanasium; ita Calvinus loco etiam notato. Alij Hosium Episcopũ, & Vitum ac Vincentium Presbyteros Legatos Romani Pontificis.

PRIMA opinio falsissima est. Nam in primis Constantinus post omnes Episcopos subscripsit, ut testatur Basilius Imperator in fine VIII. Synodi: at Præses primo loco subscripsit. Deinde Constantinus non ausus est sedere, nisi in sede humiliori, quàm essent Episcoporum, & annuentibus Episcopis, ut colligitur ex Theodoro lib. 1. cap. 7. hist. & Eusebio lib. 3. de vita Constantini. PRAETEREA, Constantinus in ipso Concilio professus est, se debere ab Episcopis iudicari, eisquẽ subiectum esse, non præpositum, ut scribit Ruffinus lib. 10. cap. 2. Quomodo igitur non secum ipse pugnasset, si in Episcopali iudicio præsidere voluisset?

Ad hæc AMBROSIVS epistol. 32. dicit, Constantinum in Concilio Nicæno, non se fecisse iudicem, sed liberum reliquisse iudicium Sacerdotibus. Item ATHANASIVS in secunda Apologia dicit, non posse haberi Synodum, in qua nõ Episcopus, sed Comes aliquis præfederit. Et in epistola ad solitariam vitam agentes, arguit vehementer Constantium, quod in Conciliis primas partes tenere vellet: *Si, inquit, iudicium Episcoporum est, quid cum eo commune habet Imperator?* Et in præcedentibus refert Hosium scripsisse eidem Con-

Con-

Constantio: Ne, inquit, nobis in hoc genere præcipe, sed ea potius à nobis discere; tibi Deus imperium commisit, nobis ea, quæ sunt Ecclesia, concedidit. Et non procul à fine: Quis enim, inquit, videns eum in decernendo principem se facere Episcoporum, & præsidere iudiciis Ecclesiasticis, non meritò dicat, illum eam ipsam abominationem desolationis esse, quæ à Daniele prædicta est? Vbi apertè vocat Constantium Antichristum, quia ausus est præsidere in iudicio Ecclesiastico. Scribit quoque SVIDAS in vita Leontij, quòd cùm Leontius Constantium in Concilio præsentem, & loquentem videret, dixit ad eum, mirari se, quòd ille propriorum negligens, id est, bellorum, aliorumq; civilium negotiorum, se in alienis, id est, Ecclesiasticis, tam curiosum præberet. At certè nec Athanasius, nec Hosius, nec Leontius reprehendisset in Constantio, quòd Synodis præsidere voluisset, si antea pater eius Constantinus in Concilio Nicæno præsedisset.

Quòd EUSTATHIUS non fuerit præses, probatur PRIMO, quia in subscriptione Eustathius nõ inuenitur primus, nec secundus, nec tertius, sed inter alios inferius positus. SECUNDO, quia cùm esset in Concilio Alexander Alexandrinus Episcopus, Antiocheno maior & dignior, nulla ratio sinebat, vt ipse præcederet.

At, inquiunt Magdeburgenses, apud Eusebium lib. 3. de vita Constantini, legimus eum, qui primus sedebat à dextris Imperatoris, orationem habuisse de laudibus Imperatoris; Eum autem, qui orationem habuit, constat, fuisse Eustathium, ex Theodoro lib. 1. hist. cap. 7. RESPONDEO, Eustathium fuisse primum dextri ordinis Episcoporum, vt Eusebius dicit, non tamen primum immediatè post Imperatorem. Constat enim ex Athanasio in epistola ad solitariam vitam agentes, Hosium fuisse Principem eius Concilij, & proinde ante Eustathium sedisse.

Itaq; (si coniectare licet) tres ordines sedium erant in Concilio; vnus à dextris, alter à sinistris, & tertius in capite aulae totius, & quidem in hoc tertio sedebat medius Imperator inter Episcopos Hosium Legatum Põtificis, & Alexandrum Episcopum Alexandrinum, necnon Vitum & Vincentium Legatos item Apostolicos. Deinde primus ordinis eius, qui erat à dextris, sedebat Eustathius Episcopus Antiochenus.

Alterius autem ordinis, qui erat à sinistris, sedebat primus Macharius Episcopus Hierosolymæ; atq; hac ratione seruabatur ordo dignitatis inter primarios Patriarchas, quæ certè valde probabile est seruatū fuisse in ea Synodo. vel certè, si id placet, respondere possumus, Eustathio datum esse locum digniorem ob antiquitatis & sanctitatis eius meritum, sed non propterea eum Concilio præsedisse. Nam alioquin Imperator præsedisset in Concilio IV. & VI. qui in summo loco sedebat. Itaque non tam ex loco, quàm ex subscriptione colligenda est præsentia; sæpè enim honoris gratia ille sedet primus, qui reuera primum locum non tenet.

Quod verò Athanasius non fuerit præses, vix eget probatione, solus enim Calvinus, & sine vlla ratione id asserit; & præterea cõstat, Athanasium tunc fuisse Diaconum, & iuisse ad Concilium cum Episcopo suo Alexandro, & nec sedisse, nec subscripsisse. Vide Ruffinum lib. 10. histor. cap. 14. & Sulpitium lib. 2. sacre historię, Gregorium Nazianzenum oratione in Athanasium, & ipsum Athanasium in secunda Apologia. **PORRO**, Diaconum sedere, nedum præsidere in Synodo Episcoporum, nisi locum teneat Episcopi sui, est omnino inauditum. Non autem tenebat locum Episcopi Athanasius, cum Episcopus ipse Alexander adesset præsens; deniq; inter subscriptiones inuenitur quidem subscriptio Alexandrini Episcopi Alexandri, proximè posita post subscriptionem Romanorum Presbyterorum, at subscriptio Athanasij nusquam reperitur.

Quòd ergo præsides fuerint Legati Pontificis Episcopus Hosius, Vitus & Vincentius Presbyteri, probatur **PRIMO**, ex subscriptionibus. Hi enim tres primi omnium subscripserunt. **SECUNDO**, ex Cedreno in compendio historiarum, & Photio in libro de septem Synodis, qui dicunt, Syluestrum per suos Legatos Concilio Nicæno auctoritatem contulisse. **TERTIO**, ex Athanasio in epistola ad solitariam vitam agētes, vbi dicit, Hosium Principē fuisse in eo Concilio, & ipsum esse, qui composuit Symbolum, quod dicitur Nicænum. Cùm autem Hosius fuerit simplex Episcopus, & proinde inferior omnibus Patriarchis, qui erant in eo Concilio, sine dubio nunquam habuisset primum locum, nisi vicem gessisset Romani Pontificis. Itaq; in præfatione quadam Concilij Sardicenis,

ensis, quæ habetur in primo tomo Conciliorum, & fortasse est Dionysij exigui viri doctissimi, disertis verbis habetur, Hosium Cordubensem in Nicæno Concilio Legatū egisse Romani Pontificis. quod etiam ex Codice Græco intelligi potest, qui in Vaticana Bibliotheca habetur; cuius testimoniū vide in lib. 2. de Concilio Nicæno, edito ab Alphonso Pisano, Societatis IESU, Colonia anno M.D.LXXXI.

SECUNDVM Concilium generale fuit CONSTANTINOPOLITANVM I. in quo constat non præsedisse Imperatorem, sed tantum misisse ad Episcopos literas Romani Pontificis, quibus ad Concilium vocabantur, ut patet ex epistola Concilij ad Damasum, apud Theodoretum lib. 5. cap. 9. constat etiam non præsedisse Romanum Pontificem, sed Nectarium Episcopum Constantinopolitanum. cuius rei causa est, quia Romanus Pontifex non interfuit, nec per se, nec per Legatos. Pontifex enim Damasus conuocauerat quidem Episcopos Orientis Constantinopolim, sed ex eo loco postea volebat eos Romam venire, ubi ipse coegerat Synodum Episcoporum Occidentalium, ut Romæ fieret plenissimum Concilium. Ceterum, Orientales excusauerunt se iustas ob causas, & coniunxerunt se animis, & sententiis cum Occidentalibus, non autem præsentia corporali. Vide epistolas Damasi ad Concilium Constantinopolitanum, & Concilij ad Damasum, apud Theodoretum lib. 5. cap. 9. & 10. quod autem, si Damasus adfuisset, sine dubio præsedisset, patet ex eisdem epistolis, ubi illi Damasum, ut caput suum agnoscunt, & ipse filios eos vocat.

TERTIVM Concilium fuit EPHESINVM I. in quo certum est, non præsedisse Imperatorem, sed Romanum Pontificem per Legatos suos. Quod non Imperator, nec aliquis nomine eius, patet ex epistola ipsius, videlicet Theodosij Iunioris ad Synodum Ephesinam, quæ habetur tomo 1. eius Concilij, cap. 32. ubi dicit, se misisse Candidianum Comitem ad Concilium, non ut misceret se quæstionibus Ecclesiasticis, sed ad Synodi defensionem. Vide epistolam Nicolai I. ad Michaëlem Imperatorem. Quod Romanus Pontifex Celestinus præfederit per Legatum suum S. Cyrillum, testantur omnes historici; Euagrius lib. 1. cap. 4. Photius in libro de septem Synodis; Prosper in Chronico; Nicephorus libro 14. cap. 34.

& Liberatus Abbas in Breuiario, cap. 15. Denique Iustinianus in edicto, & Nicolaus I. in epistola ad Michaëlem, & ipse Celestinus in epistola ad Cyrillum, quæ exstat in hac Synodo, tomo I. cap. 16. & inter opera Cyrilli.

At CALVINVS respondet, Celestinum aliquo artificio quæsiuisse saltem nomen præsententiæ, cum rem habere non posset, & ideo cum mitteret illuc suos, Cyrillo, qui alioqui præfuturus erat, vices suas delegasse, ut saltē per illum præsidere videretur.

At figmentum istud Caluini, quod sine vlla ratione profert, facilè refellitur. PRIMVM, ex Prospero, qui dicit, Nestorio præcipuè restitisse Cyrilli industriam, & Celestini auctoritatem. SECUNDO, ex epistola Celestini, qua videmus mandari Cyrillo vices Romani Pontificis, multò antè, quàm Legati ceteri mitterentur. TERTIO, ex Nicephoro loco notato, qui dicit, adèd magni fecisse Orientales hoc priuilegium datum Cyrillo à Celestino, ut deinceps Cyrillus mitram, & nomen Papæ, atque ut Iudex orbis vniuersi appellaretur, acceperit, & hæc ornamenta etiam ad successores transmiserit. QUARTO, ex epistola Cyrilli ad Constantinopolitanos, in qua dicit, quod si Nestorius intra terminum à S. Celestino Papa præscriptum, non respuerit, communionem Ecclesiæ priuabitur. QUINTO, ex ipsa Synodo, quæ, ut refert Euaugrius lib. I. cap. 4. & ex ipsa sententia, quæ habetur tomo 2. cap. 10. huius Synodi, cum damnationem in Nestorium pronuntiare vellet, præmisit, se cum aliis Ecclesiæ canonibus, tum præcipuè literis Papæ Celestini, necessariò compulsam ad tam seueram sententiam. DENIQUE, exstat epistola Synodi ad Celestinum, in qua reseruant iudicio ipsius Celestini causam Ioannis Episcopi Antiocheni, ut ipse in eum sententiam ferat. quæ omnia sunt certa argumenta, quòd Celestinus re ipsa fuerit Præses & Princeps in eo Concilio.

QUARTVM Concilium est CHALCEDONENSE, in quo initio, id est, in prima actione Imperator Martianus interfuit, & sedit primo loco, non tamen præsedidit, ut Iudex, ut ipsemet testatus est in oratione ad Synodum, quæ exstat act. I. ubi ait, se venisse ad confirmandam fidem, sicut olim fecerat Constantinus Magnus, id est, non venisse ad explicandam

dam fidem, & controuersias iudicandas, sed ad hoc, ut fides à Concilio explicata, firma ac tuta consisteret, defensa uidelicet Imperatoris ope & auctoritate. Interfuerunt denique nomine Imperatoris in aliis actionibus quidam Iudices seculares, qui non erant Iudices controuersiarum fidei, sed tantum, an omnia fierent legitimè, sine vi, & fraude, & tumultibus. Quia enim in Concilio Ephesino II. Dioscorus Episcopus militibus introductis, vi coëgerat Episcopos ad subscribendum: In hoc Concilio interfuerunt vel Imperator, vel Vicarij eius, ad impediendam violentiam. Id quod ex toto Concilio apparet; nunquam enim sententiam ferunt, nunquam subscribunt, & in omnibus sententiis Episcoporum acquiescunt.

Præfuerunt autem reuera ut Iudices Ecclesiastici, Legati Leonis Papæ. Ipsi enim in omnibus actionibus primi nominantur, primi sedent, primi loquuntur, primi subscribunt, ipsi sententiam definitiuam in Dioscorum proferunt, nomine Papæ & totius Concilij, actione 3. his verbis: *Sanctissimus ac beatissimus Papa caput vniuersalis Ecclesie Leo, per nos Legatos suos, sancta Synodo consentiente, Petri Apostoli pradius dignitate, qui Ecclesia fundamentum, & petra fidei, & cælestis Regni sanctorum nuncupatur, Episcopali dignitate Dioscorum nudauit, & ab omni sacerdotali opere fecit extorrem.* Denique, beatus Leo & Concilium totum id fatetur. *LEO* epist. 47. ad Concilium Chalcedonense, sic ait: *In his, inquit, fratribus Paschasino & Lucentio Episcopis, Bonifacio & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolica sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas existimet præsidere.* Concilium Chalcedonense in epistola ad Leonem, quæ habetur actione 3. in quibusdam exemplaribus, in aliis post finem Concilij: *Quibus, Episcopis Concilij, tu quidem sicut membris caput præeras in his, qui tuum tenebāt ordinem, beneuolentiam præferens. Imperatores uero ad ornandum de-sentissimè præsidebant, &c.*

CALVINUS respondet, in hoc quidem Concilio præfuisse Legatos Pontificis Romani, sed ex priuilegio Imperatoris, quod extorserat Leo Papa: *Cum enim fieret Concilium Ephesinum secundum, inquit Calvinus, non est ausus Leo petere primam sedem in Concilio, sed misit Legatos, & passus est*

est

est eos subesse Dioscoro Alexandrino Episcopo Præsidi. quia Verò res malè cecit, & Dioscorus non rectè nauim gubernauit, Leo, illa occasione accepta, petiit ab Imperatore, Si permitteret aliud Concilium fieri, cui Legati sui præessent. Imperator, quia videbat, nõ esse in Oriente illos idoneos Episcopos tanto oneri, ex defectu personarum, permisit Romanis Legatis præsentiam.

Hæc historia, quam Calvinus sine vlla probatione recitat, plena est mendaciis; nam imprimis, quòd Leo non sit ausus petere primam sedem in Concilio Ephesino, mendacium est. Scribit enim Liberatus in Breuiario, cap. 12. Legatos Romani Pontificis noluisse in Concilio sedere, cum vidissent præsidere Dioscorum, & non datam sanctæ sedi Romanæ præsessionem. Porro, Dioscorum extorsisse contra fas ab Imperatore præsentiam illam, scribunt Zonaras in vita Theodosij, & Euagrius lib. I cap. 10. Vnde etiam Leo epistola 24. 25. & 26. ad Theodosium & Pulcheriam, frequenter reperit, Dioscorum in ea Synodo sibi vendicasse principatum, vbi etiam testatur, Flavianum Episcopum Constantinopolitanum appellasse à Concilio illo ad Apostolicam sedem & libellum appellationis tradidisse Legatis Romanis; quomodo ergo non auderet Leo in eo Concilio præsentiam petere, à quo ad se tanquam ad maiorem appellabatur? Deinde, quòd Leo petierit ab Imperatore, vt sui Legati præessent in Synodo Chalcedonensi, & quòd Imperator id concesserit defectu personarum Orientalium, mendacia impudentissima sunt; nihil enim tale ab vilo narratur, immò videmus Leonem Legatos misisse absolutè, vt præfiderent, nullius consensu petito, nedum venia vel permissione.

QVINTVM Concilium fuit CONSTANTINOPOLITANVM II. in eo præfedit non Menas, (vt falsò Calvinus docet) Concilium enim à Mena celebratum, non generale, sed particulare fuit, vt suprà demõstrauimus; sed Eutychius Menæ successor, qui tamen agnouit, & professus est, præsentiam debitam fuisse Romano Pontifici, si is interesse Concilio voluisset. Vnde Zonaras in vita Iustiniani: *Sub hoc, inquit, quintum Concilium est coactum centum sexaginta quinq; Episcoporum, quorum Princeps fuit Vigilus Papa Roma-*

Romanus. Et ipse Eutychius Patriarcha in epistola ad Vigilium, quæ habetur in fine primæ collationis quintæ Synodi: *Petimus, inquit, presidente nobis Vestra Beatitudine, de tribus capitulis queri & conferri.* Quæ verba Patriarchæ Eutychij nõ solum mendacium Caluini refellunt, qui scripsit, Menam in eo Concilio præsedisse, sed etiam alterum Illyrici, qui Cent. 6. cap. 9. col. 509. asseruit, Vigilium Papam noluisse Synodo interesse, ne cogeretur secundus Eutychio assidere. At qui hoc timere potuit, cum ipse Eutychius præsentiam illi offerret?

SEXTVM Concilium fuit **CONSTANTINOPOLITANVM III.** in eo Præsides fuerunt Legati Agathonis Romani Pontificis, Petrus & Georgius Presbyteri, ac Ioannes Diaconus. Id enim affirmat Zonaras in vita Cõstantini IV. & præterea ex ipsa Synodo patet, vbi in singulis actionibus isti primi omnium nominantur, loquuntur, subscribunt. Interfuit in hac Synodo etiam Imperator Constantinus, cum nõnullis viris illustribus, & præsedit, id est, primo loco sedit, sed nõ fuit vlllo modo Iudex, aut formaliter Præsides; nam nullam sententiam tulit, & vltimus omnium subscripsit, non definiens, sed consentiens.

SEPTIMVM Concilium est **NICAENVM II.** in quo sine controuersia Præsides fuerunt Legati Papæ Adriani I. Petrus Archipresbyter, & Petrus Abbas S. Sabbæ. Isti enim primi nominantur, & primi subscribunt. Imperator nihil in hac Synodo egisse legitur.

OCTAVVM Concilium est **CONSTANTINOPOLITANVM IV.** in quo etiam sine controuersia Legati Adriani II. præfederunt, videlicet Donatus & Stephanus Episcopi, & Marinus Diaconus, qui primi nominantur, & subscribunt, & in ipsa prima actione rogati à Concilio, vt ostenderent literas Papæ, quibus daretur eis præsentia, mox exhibuerunt literas Adriani. Denique, ad finem Concilij ita subscribit primus: *Ego Donatus Dei gratia Episcopus Hostiensis, locum obtinens Domini mei Adriani vniuersalis Papæ, hunc sancta & vniuersali Synodo præsidens, omnia, qua superius leguntur, promulgavi, & manu propria subscripsi.* Imperator autem **BASILIVS** adfuit quidem, sed in fine Concilij aperte testatus est longa oratione, non esse suum, nec vllius hominis

minis Laici, miscere se Ecclesiasticis iudiciis, & tandem subscripsit post omnes Patriarchas, non definiens, sed suscipiens, & consentiens, præfatus etiam antea se debuisse subscribere post omnes Episcopos, ut olim fecerunt Constantinus, Theodosius, & Martianus; tamen se subscripsisse immediate post Patriarchas, quia tali eum honore Episcopi afficere uoluerunt.

Si ergo his addamus reliqua generalia Concilia, in quibus omnibus sine controuersia Pontifex Romanus præsedir, habebimus ex continua Ecclesiæ consuetudine, proprie ad Romanum Pontificem pertinere munus in Conciliis generalibus præsidendi. De ceteris, quæ ad formam pertinent Conciliorum, ut de ordine, quo ceteri sedere debent; de uerbis Episcoporum in Synodo; de modo procedendi, &c. uide Ioannem de Turrecremata lib. 3. cap. 26. & 27. & Concilium Toletanum IV. cap. 3. Toletanum XI. cap. 1. & initium Conciliorum Constantiensis & Basiliensis.

CAPVT XX.

Soluuntur argumenta aduersariorum.



ARGUMENTA CALVINI sumuntur à praxi Ecclesiæ. Proponit enim quinque Concilia, in quibus Pontifex Romanus non præfuit. Videlicet NICAENVM, cui præfuit Athanasius; QUINTVM generale, cui præfuit Menas; EPHESINVM secundum, cui præfuit Dioscorus; CARTHAGINENSE sextum, cui præfuit Aurelius; etiamsi adessent Legati Pontificis; & AQUILEIENSE, cui non Damasus, sed Ambrosius præsedir. Sed ad prima tria iam est responsum.

Ad QVARTVM dico, solùm in generali Concilio debere necessariò Romanum Pontificem præsidere; in provincialibus enim, vel nationalibus, qualia sunt omnia Carthaginensia, non negamus deberi præsidendam Archiepiscopo, vel Primati eius loci. Porro, Legati Romani Pontificis non fuerunt ad illud Concilium missi, ut præsiderent, sed ut quædam tractarent cum eo Concilio nomine Romanæ Ecclesiæ.

Ad